



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 66. Farnesius Translationi a Legatis proponendæ abluctatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

eidem funestam exposuit omnium Pa-  
 trum conditionem, eo quod haud teme-  
 re vereri cogantur, ne tanquam man-  
 cipia in captivitatem abstrahantur, si  
 Protestantium arma sint prævalitura:  
 Urgenda igitur, prosequeretur Cardi-  
 nalis, hæc Synodi translatio: *Ita enim  
 Sedis Apostolicæ dignitas, ita libertas Con-  
 cilio, ita Episcoporum securitas, ita disso-  
 lutionis periculum, ita columen legitimæ  
 auctoritatis postulant. Si Germanica ex-  
 peditio prospere cederet, spesque affulgeret,  
 populos, qui desciverant, Concilium susce-  
 pturos, possent tunc Patres & decenter, &  
 cum fructu, & sine periculo Tridentum  
 regredi.*

Perceptis hisce rationibus Farnesius  
 Tridento profectus est.

§. LXVI.

*Farnesius Translationi a Legatis pro-  
 ponendæ oblitatus.*

Rebus ita dispositis Legati die duode-  
 cima mensis Augusti generalem ha-  
 bebant conventum suffragia collecturi,  
 utrum Synodi translatio Patribus pro-  
 baretur, ac demum quænam alia urbs  
 seligeretur, quoque pacto, si Pontifex  
 suis insisteret mandatis, cuncta ad di-  
 scessum præsto forent. Verum Legati  
 literas a Farnesio Cardinale datas acce-  
 pere,

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1546.

*Pall. c. 8. n. 4.  
 Diar. Mas-  
 sar. 12 Aug.  
 ex lit. Legat.  
 eadem die ad  
 Card. S. Flo-  
 ra.*

Sæcul. XVI  
A.C. 546.

pere, quibus injunctum, ut hoc negotium tantisper differrent, nec de eo agerent, donec Pontificis responsa perferrentur. Ad hanc circumspectionem abs dubio Farnesium induxerat necessitas, qua Cæsaris favorem conservare tum oppido consultum censebat, præcipue, cum aliunde Imperator suam ipsi voluntatem patefecisset.

## §. LXVII.

*Cæsar Concilii translationi vehementer obfistens.*

*Pallav. n. 5. & 6. Litt. Veralli ad Legatos ultima Jul. Eiusd. ad Sfortiam 3. 6. & 8. Aug. & ad Legat. 6. Aug. Diar. Concil. Trid. M S. Archiv. Vat. p. 165. apud Reynald. hoc an. n. 127.* Enimvero Imperator Hieronymo Corregio, quem Farnesius Cardinalis ablegaverat, hunc in modum respondit: *Tametsi a plerisque Concilii cessatio vel translatio ceu mihi conducibilis ostentetur, eo quod per eam mihi liberum esset cum Protestantibus convenire; cum tamen ego non alio spectem, quam ad divinum obsequium, ac prosperum rei successum, optarem, ne quid novi seu facti seu verbo ageretur.* Enimvero si Synodus vel dissolveretur, vel transferretur, nihil Cæsari obfistare potuisset, quo minus cum Protestantibus conveniret, ac procurata pace se a plurimis curis eximeret: cum autem Farnesius per eundem Corregium pariter Cæsarem de eo, quod inter Cardinales nuper in conventu die vigesima